Quaestio medica, Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die Iovis 12a februarii 1573.

D. Roberto Greaume D. M. Moderatore sapientissimo.

Estne omnis Dysenteria sistenda?

Natura sive viribus utens in se semper incumbit, ut id quod in corpore alienum est, et quo veluti sarcina premitur, ex se per loca commoda utpote per intestina excernat, quo fit ut nimia excrementorum (quasi qualia oporteret progignuntur, prosunt) copia gravata aut ~~qualitate~~ acrimonia irritata ad excretionem eorum insurgat. Unde varia fluxionum et tumorum genera: humorum enim in toto vel parte redundantium, et in viscera et ventrem magno et celeri impetu ruentium prolapsu, a quibus dum se partes expediunt, eosque in mesenterium et intestina tanquam in sentinam et cloacam detrudunt: illic inflammationem, abscessum, ulcus, coli et ilei dolorem, lienteriam, diarrhoeam, tenesmum, aliosque morbos naturae, aetati, consuetudini et tempori consentaneos, dissentaneis minus periculosos, et alia symptomata partis obsessae, et humoris morbifici propria excitant. In quorum censu dysenteria ponitur, quae partis quam infestat nomen sibi adoptat.

Cuius quatuor cum sint differentiae quatuor succedentes affectibus ea primas obtinet in qua ab omni humore illic cunctante, vel aliunde affluente, vel a medicamento erodente, vel vitioso alimento, vel aliquo abscessu rupto, vel simili dejectione primo abraduntur, deinde eroduntur, postremo ulcerantur. Abrasionem opimae excretiones sequuntur, exulcerationem purulentae ~~dejectiones~~ excretiones indicant. Ulcus quo vix ullum peius, cum saepius torminibus et acerbo dolore coniunctum in partibus superioribus quibus hypostrophe denegatur, quam in inferioribus (quas doloris situs et permistionis ratio producit) plus negotii facessit, ac graviora symptomata inducit. Humoris speciem, anni tempus, aetas, victus ratio, corporis habitus, et temperamentum detegunt. Nam ut cetera alvi profluvia, in quibus excrementorum mutatio iuvat, pueris et grandioribus frequentius contingunt. Ita hoc iunioribus, viris, et mulieribus aestate et autumno potius quam hyeme et vere, minus infestum et calamitosum.

Quae autem αἱματηρὰ dicitur a copioso sanguine toto corpore redundante ex venarum osculis in intestina effuso, principia eademque ducit. Sanguinis copia (quem supra sedem malum) aut vacuationibus solitis suppressis, aut intermissa exercitatione, aut truncato membro, aut victu largiore et euchymo augetur, ac statis intervallis naturae providentia constante etiamnum valetudine deorsum deiicitur. qui si arte prohibetur, mora putrescit, ac corrumpitur, tumque in atram bilem (quam inducunt morbo supra aut infra sedem, aut ulcus ab ea excitari, aut carunculas exedi funestum) facile convertitur. Tertia vero huic et huius alvi deiectioni adsiliens ex sanguine splendente ab hepate laborante in ventrem reiecto semper exoritur, quae ut principio morbi ad malum attavas sic eodem inclinante, pharmaco expellente, vel etiam lienosis, insanis et podagricis supervenientes salutaris habetur.

Rubra alvi proluvies ἡπατικὰν arguit, in qua ~~in~~ primum tenuis sanies lotura carnium similis, ab hepate chylum quidem attrahente, sed eum in chymum non alterante, deinde aucto malo crassus humor faecibus vini haud absimilis ἀθρόως et repente per intervalla, postremo atra bilis (a qua non semper dysenteria lethalis) excernuntur. Calida vel frigida intemperies cum imbecillitate coniuncta hunc affectum inducit. Calidam quidem celerior pulsus, urina tincta, prostrata appetentia, sitis vehemens, fastidium gravior, et febris, frigidam vero color faciei non collabentis pallidus, pulsus tardus, urina alba, appetentia modo intensa, modo remissa et sitis sequuntur.

Verum ex his omnibus quae vulneris est particulae primum diaeta tenui, ut cibis ~~ex~~ εὐπέπτοις quantitate, et qualitate paucis, deinde pharmacia phlebotomia non posthabenda, ut ulcere expresso, non terrefacto profliganda venit, postremo ulcera sanantibus, ut sarcoticis, collecticis, et epuloticis, prius tamen lotis a bile et humore mordaci per enemata ex lacte ustulato et non ustulato intestinis: nunquam autem nisi naturae penitus, vel magna ex parte vacuata adstringentibus utendum. Somnus imprimis conciliandus, et quies imperanda. Narcoticis etiam dolor sedandus. quae vero a sanguinis copia oritur rerum pone non naturalium, quam medicamentorum ope curatur. Sanguis ex mensium et haemorrhoidarum suppressione per intestina cursum inflectens, venarum huic et illic vacuationi dicatarum apertionem hortatur. quod si ipse per plethoram a toto corpore, vel etiam κριτικῶς effluat, eius excretio nunquam sistenda, sed soli naturae committenda. Hepatis demum intemperies calida frigidis, ut frigida calidis emendatur, eiusque imbecillitas non tantum humores vacuantibus, sed etiam stypticis confirmatur.

Itaque non omnis dysenteria sistenda.

Asserebat Guillelmus Lusson Lexoviensis.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE